

Tertia mi reducem sistet, vel quarta sodalem
 Lux bona, natali dulcior illa meo;
 Dignaque signari nivei candore lapilli,
 Digna mero, & blandi thuris honore coli.
 Aurea lux, omni lux o mihi carior auro,
 Formosum Oceani profer ab amne caput.
 Dium pulchra caput profer; sic turbidus auster,
 Nigraque dum surgens nubila diffugiant;
 Quaque ibis sternantque viam, largoque rosarum
 Ludentes jactu luxurient Zephyri.
 Interea ingrati quando hæc me cura Lycei
 Tristis in occursum longius ire vetat,
 Hæc mi animum certe pascet venientis imago,
 Ipsa sibi quam mens pingit, & adsidue
 Sic videt, ut vigiles vere quæ cernimus, ipsis
 Quæ luce in media subdita sunt oculis.
 Qualis ades, Rogere, valensque, vigenisque, nec ullis
 Morborum, atque viæ casibus edomitus!
 Quantus ades! rerum lustrato ex orbe bonarum
 Quas amplo inclusas pectore divitias,
 Magne, refers! proh quæ doctrinæ aggesta supellex
 Omnigenæ! quantam nec vafer ille domum
 Tot terras Laertiades, tot cæcula mensus
 Rettulit, ille licet Protea fatidicum
 Audierit, Circemque, & diæ verba Calypsus.
 Ut reducem lætis vultibus excipimus,
 Et cupide affamur, ruimusque in colla sodales
 Unanimi! vix et credimus incolumem
 Venisse! ut longos cursus, longamque laborum
 Audimus cupidis auribus Iliadem!
 Totque hominum mores, tot mira inventa, tot artes
 Narrantis diti pascimur eloquio:
 Miramurque, tuo & taciti pendemus ab ore
 Obliti somnum, furva licet bijugo